



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

VII. Tormenta pauperis. Pro paupere contra divitem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

DECLAMATIO VII.
TORMENTA PAUPERIS.

ARGUMENTUM.

Liberum hominem torqueri ne liceat. Pauper & dives inimici. Pauperi erat filius. Nocte quadam pauper cum filio revertebatur. Interfectus est adolescens. Offert se pauper in tormenta dicens, a divite eum interemptum. Dives contradicit ex lege.

PRO PAUPERE CONTRA DIVITEM.

SENTIO, iudices, plurimum detrahi calamitatibus meis miserationis, quod ad vos detulisse videor nimium fortem dolorem: & tristissimæ orbitatis inde quoque accessisse novitatem, quod cum adversus me tam gravia & crudelia deposcam, patior invidiam hominis exigentis aliena tormenta. Non possum tamen vel in nobis approbare quid patiar, quod mihi non est relicta miseri patris infirmitas. Percussorem filii mei vidi, & miserior sum quam si nescirem quis occidisset. Fateor igitur, iudices, ipse miror unde ad hoc probationis genus repente confugerim. Veneram tanquam nunciaturus indubia, manifesta: nec alium expectaveram publicarum suspicionum de filii mei morte consensum, quam si percussorem videretis omnes. Hic, hic ut torquerer inveni. Postquam satis non videbantur explicare verba quod videram, confugi ad fidem doloris. Quid faciam, si temeritates quoque nostras conscientia reorum non potest pati? Intellexi miseratione factum, qui ut torquerer exegeram, ex quo me dives non putat aliud in quæstione dicturum. Neque ego, iudices, quenquam vestrum dubitare crediderim, ex qua conscientia, qua trepidatione descendat, ut quis torqueri nolit inimicum. Quos nunc putatis cruciatus divitem pati, quem dolorem, quod hoc mihi negat? quam vellet ideo tantum filium meum non occidisse, ut mihi posset indulgere tormenta? An hoc creditis, iudices, divitem facere legum libertatisque respectu, & reum pro exemplo esse sollicitum? Ille vero nunc
lacera-

laceratur, & sic magis nostro dolore fruitur. Operæ precium est inimico negare tormenta, cum feceris ut velit ipse torqueri. Illud igitur à vobis, iudices, infelicissimum omnium mortalium peto, ne cum inaudita, incredibilia passus sim, misereri velitis corporis mei: crudelius & indignius est quam torqueri, non impetrare tormenta. Est ad verforum meorum & ista novitas, quod necesse habetis ea mihi ratione succurrere, qua odissetis alium. nec quicquam est homine infelicius, pro quo tormenta sunt. Percussorem à me filii mei visum esse contendo. Facinus est hoc vos non deprehendere, si mendacium est. Facinus hoc me non probare, si verum est. Quod ad me quidem, iudices, pertinet, orbitatis meæ repeto præsentiam, & noctem illam rursus ante oculos meos cogitationes reponunt. Jam mihi videor & in tormentis esse confessus. Filium, iudices, habui sicut erecti ac sublimis animi, ita qui nondum suos haberet inimicos, & quem nemo adhuc nisi caussa tantum mei doloris occideret. O parentum misera conditio, quam novis inuitatisque patemur insidiis! nos exasperamus, nos offendimus, inimici tamen liberos nostros oderunt. Quis hoc unquam, iudices, simulatum timuisset ingenium, ut eodem aliquis excogitaret animo & quod parcit, & quod occidit? Reliqua, iudices, non debeo nisi in quæstione narrare. Felices illos in mei comparatione patres, qui periisse liberos suos nunciis credunt. Ego sum inaudita malorum novitate percussus, cuius unicus ideo tantum occisus est, ut viderem. Revertebatur nocte pariter, sicut omnia nos vitæ ministeria jungebant: & homines quibus non servos præstabat fortuna custodes, tuebamur pauperem mutua pietate comitatum, invicem sustinentes, invicem innixi, nec nisi magna percussoris diligentia separandi: cum dives medio noctis horrore stricto mucrone profiliit, & stupentibus attonitisque miseris confodit illum fortiorem: illum, qui fortassis aliquid in mea morte fecisset. Confiteor, iudices, nihil tunc oculorum meorum diligentia, nihil egit cura
miseri

miseri patris. Percussor voluit agnosci. Vos nunc cives, vos omnes humani generis affectus, miserrimus interrogo pater. Suadete quid faciam. Hunc quem videtis circa me sanguinem, de filii mei vulneribus accepi. His manibus labentis unci membra sustinui. In oculis meis adhuc vultus illius morientis hærent, auribus verba super cadaver habita inimici exultantis. Fidem tormentorum, quousque percussoris filii mei conscius ero? Aperite pectus istud, & totum de visceribus meis latronis egerite secretum. Vidi, & mihi non creditur. Vidi, ita possim & in tormentis idem dicere. Aut si compono, si fingo, urar, lacerer, & non probem. Si videtur, torquendus sum, iudices, ut hoc definam dicere. Nec me, iudices fallit quantam molem accusationis etiam in manifesta veritate susceperim. Divitem detuli reum pauper inimicus, occisi pater: & postulo ut mihi credatur testimonium in mea orbitate dicenti. Itaque non deprecor quo minus mihi velitis irasci donec probem. torquete tanquam mentientem. Lex, inquit, liberum hominem torqueri vetat. Per fidem, iudices, quis non hoc eum respondere credat, cujus tormenta poscantur? Nemini, iudices, credo dubium, legem quæ torqueri liberum hominem vetat, hoc prospexisse tantum, ne quis torqueretur invitus: & jura quæ nos à servilium corporum conditione fecernunt, impatientiæ tantum succurrisse nolentium. Omnium beneficiorum ista natura est, ut non sit necessitas, sed potestas. Quicquid in honorem alicujus inventum est, desinet privilegium vocari posse, si cogas. Cuncta, si videtur, jura percurrite: nusquam adeo pro nobis sollicita lex est, ut quod præstat, extorqueat. Dedit cæco talionis actionem, non manus recusantis impellit. Injuriarum cædis agere permisit, sed non cogit invitos. Adeo pene levius est ultionem perire, quam potestatem. Genus servitutis est coacta libertas, & eadem iniquitas, quicquid de invito homine facias. Vis scire quid lex ista prospexerit? Non exigo ut torquearis. Quam multa dii deæque non
minus

minus sunt iusta quam lex exigit, quarundam invidia rerum, ut vinci se magnitudo patiat? & quicquid accidisse mireris, tantumdem poscit in ultione novitatis. Filius in conspectu patris occisus est, torquete securi. nihil iniquius fieri potest. Ignoscant persuasiones, si facinus istud omnium illicitarum rerum consumpsit invidiam. Et unde tormentis salva iustitia est, plus est de quo quæritur, quam quomodo quærendum est. Nullum debet inimicum videri genus probationis esse quod solum est. Et quicquid potuit prodesse severitati, nunquam nocuit exemplo. Sufficit libertatis reverentiæ, quod torquetis inviti, quod contra me non alius invenit. Liberum torqueri non licet. Hoc est, iudices, propter quod filium meum dives coram me non timuit occidere. Filium igitur meum in conspectu meo occisum esse contendo. Quid dicitis? Ita non erat contra proclamationis hujus fidem, si nunc agere possem quietum modestumque miserum? Vultis, cum hoc viderim, tantum testimonium dicam? Mirum hercle, si scindo vestes, nudo corpus, ignes, flagella depono? Infaniam necesse est patet, cum solus hoc sciat. Fallitur, iudices, quisquis hoc quod postulo, contemptum, quisquis audaciam vocat. Filius urit, exagitat, & inter tormenta fugio dolorem. Si mentientis est velle torqueri, invenite quid facere debeat qui verum dicit, & non probat. Mentiris, inquit. Bene quod & tu fateris non esse mihi sine quæstione credendum. Et quas per fidem mendacio meo causas dives assignas? Ignoro percussorem. Deinde te potissimum de quo quererem elegi. An scio, & simultatibus nostris occasionem orbitatis indulgeo? Decipi me non potuisse manifestum est. Filius meus, cum pariter rediremus, occisus est. An dignoscere percussorem nocte non potui, cum percussor potuerit eligere, fugere? Quid ais? Juvenem meum alius occidit, & tu mihi solatium ultionis implet? Te accuso scilicet, ut interim nescio quis ille effugiat, evadat. Quod tu mihi genus furoris assignas, ut maximi sceleris ultio pereat

falsæ

falsæ accusationis incerto? Homo qui me vidisse contendo cum occideres filium meum, nisi de te vindicor, non reliqui mihi ut hoc de aliis probarem. O te extra omnes humanorum pectorum affectus inimice sepositum, nunc qui me putas posse mentiri? Perdidisti infelix illum chariorem pauperibus affectum. Succurrere mihi putas quod aliquando diffedimus? Falleris, deciperis. Hominis cujus occisus est filius, unus inimicus est. Sane possit aliquis hanc doloris dissimulationem mendacio perferre verborum, torqueri volo. Nihil est tanti nisi verum. Videlicet inter ignes ac flagella sufficit mihi si dixero, hic est inimicus animæ, qui nobis subinde maledixit: hic ille contumeliosus, ille impotens. Ego nescio an mihi possit in quæstione sufficere quod vidi, & quod inimicus me contendit ideo velle torqueri. Tormenta postulo. En ad quod confugiat homo qui se sciat posse mentiri. Nulla est ratio quæstionum relicta mortalibus, si adjuvant contra veritatem, & sublata est de rebus humanis necessitatis hujus utilitas, si jam tuetur ultro, explicatque fingentibus. Hucusque durant artis ingenia mortalium: & licet sit aliquis secreti firmitate compositus, hominem tamen ultra non sequitur animus. Non vacat afferere quæ finxeris, tunc cum vix prodest & verum fateri. Et nemo non contra id torquetur, quod dixit ante tormenta. Non refert, cujus ad equuleum nominis persuasionem, quas silentii afferas causas. In quæstionibus tantum corpora sumus, & nemo non contra aliquem torquetur affectum. Exigam quæstionem, an recusem? Quid interest tormentis brevi futurus similis homini qui fateatur invitus? Novum, iudices, inauditumque rebus humanis aperitur exemplum. Nemo unquam ideo torqueri non debuit, quia mentiretur. Sed si fas est, iudices, dubitare de fide quæstionum, alius debet esse suspectus, ille scilicet in quo servilium pectorum recessus, in quo verniles excutiuntur artus. Quoties tortori est rixa cum membris, tum cruciatus agnoscit assiduis suppliciis durata patientia, & homini non est

nova res dolor corporis appliciti, quod sciffa laceraque veste primum ferre non potest pudorem, quod nescit ad flagellorum vices membra componere, nec ullo verbera frangit occurfu. Nos inquam sumus quos leges supervacuum putavere torqueri. Unde nobis inter ista secretum? In tormentis libero homini opus est patientia, ut verum dicat. Sed, inquit, ideo torqueri non debes, quia exigis ut torquearis. Aliud sunt inimice tormenta, aliud velle torqueri. Felices illos qui recusare voluerunt. Meretur clementiam & favorem quisquis ad illa tremens exanimisque perducitur, quem vix à genibus tortor abducit, cui jam sciffas quoque difficile possis eripere vestes. Ego quemadmodum vultis deprecer, qui videor provocasse tortorem? Ille, ille sine ulla miseratione laceratur, cui ad singulos ictus dicitur, Ipse voluisti. quem non decet rogare, qui creditur fingere proclamationes, simulare gemitus: de quo primum videntur vindicanda tormenta. Non invenio, iudices, quid sperare possit qui mentitur, & exigit quæstionem. Homini qui vult torqueri, diu non creditur, nec verum dicenti. Nec est, iudices, quod putetis adeo mihi tristissimam orbitatem omnes humanorum pectorum rapuisse sensus, ut non intelligam petere me, quod dives possit evadere, & pene magis pro percussore torqueri. Sed quid me facere vultis? Non debeo videri posse mentiri, homo, qui cum filius meus occideretur, interfui. Veritati tantum præsto patientiam, exigo quæstionem, in qua quid dicturus sim, nescio: quid debeam dicere, vidi, scio. Vultis post hoc argumentis, suspicionibus agam? Breviora tormenta sunt. Non invenio, iudices, cur renuat tantopere dives quæstionem, postquam supersunt adhuc incerta ac dubia. Facinus est tamen me non torqueri, si mihi torto utique credendum est. Quousque me crudelissime mortalium metus simulatione deludis? Ego magis qui postulo tormenta, timeo: ego qui nihil facere potui cum viderem. Suspecta tibi est nostra patientia. Vides enim, hortatur nos contra dolorem primæ
 robur

robur ætatis, solidum plenumque corpus. Quam facilis, quam expedita res est torqueri miserum! Affero ad quæstionem jam planctibus membra liventia. Quantum animæ, quantum sanguinis orbitas traxit? Quanto imbecilliora sunt hæc quotidianis lamentationibus everberata vitalia? Quicquam ergo fingere potest hic pallor, hæc macies, & jam torto similis infirmitas? Adjice quod nihil minus in quæstione diu possis dicere si mentiaris, quam quod oculis scias: & brevissimum confessionis est genus dixisse quod videris. Felices, dives, quos tortor interrogat, qui non habent in sua potestate credentes. Impatientissima res est, posse cum velis desinere torqueri. Quin potius, inquit, probas? Fiduciam hominis, qui scias hoc me vidisse solum. Sine dubio dives multa te poterant argumenta convincere, si deferret alius: & eras manifestissimus reus, si mihi percussor quærendus esset. Quis enim credibilior in cæde pauperis, quam dives inimicus? Aut de quo facilius constare posset scelere, quod causam non habet nisi de sola ultione? Non invenit multa verba, vidisse. Nec mihi debet perire probatio ista, quia poteras & accusari. Exigit probationes, cum facinus sic disposuerit, ne possit probari. Quem mihi nox testem, quos præstare potuit oculos nuda semper & incomitata paupertas? Tibi servus à conscientia sceleris summovendus fuit: & ista ratione quis interesset: quem putares posse torqueri? Et totum facinus in has angustias redigisti, ut illud soli scirent, qui faciebant, & cui non crederetur. Nunquid dubitaretis quærere, si alius sciret hoc scelus? Facinus est ideo filii mei perire vindictam, quia pater vidi. Ego vero, iudices, & ex hoc quod recusat dives quæstionem, partem probationis implevi. Accusatoris tormenta nunquam timebit reus, nisi de quo credi potest & ante tormenta. Cur, inquit, si mihi causæ sceleris similitates nostræ erant, non te potius occidissem? Vere crudelis, ego te hoc maxime argumento percussorem probo, quod mihi pepercisti. Tuum fuit hoc inimice commen-

tum occiso filio servare patrem. Parcendi tamen mihi vel hæc fuit ratio, quod defendi non poteris, si duo perissemus. Audire mehercle mihi videor illas cogitationes, illa scelerum secreta consilia: Quid mihi cum vulneribus, quid cum cruore consumptæ & jam pene abeuntis animæ? Occidatur potius ille jam juvenis, jam inimicus, de sene vindicabitis me patris oculi. Vis mirer quod me nolueris occidere? Quæri mehercle te puto, quod in senectute magni doloris vita brevis est. Pepercisti mihi, quomodo excogitant artes detinere supplicia, & de pereuntibus magis sævitia eruitur dolore suspensio. Agnosco noctis illius clementiam inimice. quod me torqueri non vis, ex hoc evenit, quod neque occidisti. Tentat, iudices, efficere divēs, ut incredibile videatur quod occisum ab eo contendo filium. Dicturum nunc putatis magis interesse securitatis, ut quis facinus sibi tantummodo credat, & id tutius esse inimico patre quam conscio. Plus est quod affirmo, Filium in conspectu patris occidere: sic operæ precium est, si illud ipse facias. Perdit plurimam de sceleribus voluptatem, qui mandat, & minus gratiæ rebus ex nuncio venit. Occidet alius te jubente, sed vulneribus illis non fruuntur oculi: sed plus est ut singultibus abeuntis animæ, ut cruore fatieris, ut collapsum palpitantemque videas, ut me vidente. Convenit, iudices, quod ipse dives hoc fecit, & quod ego vidi: ratio sævitæ est, ut aliquis coram me occidatur, propter quem occiditur. Fidem vestram, iudices, ne me ideo non putetis vidisse, quia nihil feci. Servulorum iste libertorumque dolor est, occiso homine statim scire quid facias, exclamare, procurrere, fidem deorum hominumque testari, postea cum lacrymis venire. Vultis percussorem invadam? Vultis fugientem sequar? Interim deficientem quis excipiet? cui se morientis imponet infirmitas? Scis

profecto

[I Sævitia eruitur dolore.] Emendo: cruciet, si ita feriat, ut mori se sentiat. Et de percuntibus magis sævitia fruitur dolore suspensio. Magis delectatur, si diu Claudianus: Qui fruitur pœna, ferus est. Gronovius.

profecto, percussor, facinus ordinare, disponere. filium occidere coram patre, secretum est. Misere mini, iudices, igitur, ut hinc quoque velitis aestimare divitis conscientiam, quod contentus est ne de scelere quærat. non habet fiduciam hominis qui me sciat mentiri? & quod non minus debetis attendere quam si fateretur, non putat sibi salvum ut iterum neget. Dissimules licet, non est innocentiae metus, cum timentur aliena tormenta. Quid ait dives? Orbitatem meam in tale genus usumque convertet, si paterni doloris auctoritas facinus impingit alienum? Deinde non ipse affers equuleos, non ipse disponis ignes. Diceres me hercule te velle torqueri; ego scindo vestes, tu intremiscis, ego ad flagella nudo corpus, te facit pallor exanimem. ego equuleos, ego posco flammam, tu non habes, in meo dolore patientiam. Rogo quid aliud faceret qui occidisset? Quid nunc agam miser? Gratiam confessionis ante tormenta consumpsi. Scio quanto credibilius fuisset, si hoc statim inter ignes, inter flagella dixissem. & multum de auctoritate primæ proclamationis amisi. Non est tamen quod supervacua putetis esse tormenta, quanquam dixerim quicquid sciebam. Habeo adhuc ex illo multa referre secreto, quæ argumenta faciet dolor. Non refert an me vidisse dixerim, tormentis hoc probaturus sum, debuisse mihi credi ante tormenta. O quantopere nunc inimice torqueris, quod te coram iudicibus interrogo, quod hoc non potes mihi fateri. Sed si bene gaudii tui perspicio secretum, non putas te negare, quia vidi. Arrogantissime percussorum evasisse te putabas, quod illud duo tantum sciebamus? Meis, meis hoc ignibus nega, & dum me per singulos artus tortor interrogat, perfer saltem non credendi patientiam, cum ego me vidisse proclamem, tu nullam afferas innocentiae probationem. Non potest aliter absolvi, quam ut illud ego negem. Nec tamen, iudices, putetis solo me calamitatum ambitu petere questionem, dabo propter quod torqueatis irati. Filium meum illum singulis vobis universisque laudandum, juxta quem

felix, juxta quem arrogans eram, occidit. Mea nimia libertas, ita ego te non equuleo efferam, non super ardentem eximam flammam? Nunc me vindicas, nunc tueris. Modo, modo coram me filium meum dives occidit fiducia tui. concurrere omnes liberi, omnes parentes, urite, lacerate hoc primum patris oculos, distrahite has manus, quæ nihil pro pereunte fecerunt: hoc corpus, hæc membra, quæ de complexu latronis vulnera nulla retulerunt. Sive hoc poenam, sive vultis esse clementiam, debeo tam miser esse dum probo, quam cum viderem. Miserum me, si fas est in quæstione mentiri. Sine dubio dives hoc captavit recusando quæstionem, ne crederetur. Sed dura parumper anime, vidisti. Nunc infelix ad nos miseros pietas redi: quod fieri in ipsa orbitate non potuit, & vires quas improvisus abstulit dolor, probatio restituet. Cum flammis urentur nuda vitalia, nox illa occurrat: cum membra fidiculæ flagella laxaverint, rursus ante oculos sit morientis unici vultus, hæreant verba percussoris, mandata pereuntis. Filium spectasse morientem, longa præsentia est. Nescis infelix senectus quanta tibi opus sit veritatis contentione, ut poeniteat divitem quod non duos occidit. Jam nunc tamen vobis, iudices, infirmitatem meam allego, commendo. Si me forte fidiculæ flagella mutaverint, ego tamen vidi. Si vocem in equuleis ignibusque perdidero, ego tamen vidi. Si totus undique dolor pariter admotus occiderit, ego tamen vidi. Alioqui nisi hoc animo meo, nisi licuerit oculis, morerer hoc dolore, quo puto me posse torqueri.

DECLA-